



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Nulli clericorum ne subdiacono quidem connubium carnale conceditur.
cxlviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BYRCHARDI EPIS. VVORMAC.

alienarum possessionum fiant, & secularia negocia sub
ra sua suscipiant: Dei quidem ministerium paruipenden-
tes, secularium verò discurrentes per domos, & propter
auaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes. De-
creuit itaque sanctum concilium, nullum deinceps, non
episcopum, non clericum, non monachum, aut possessionem
conducere, aut negociis secularibus se miscere, præter ec-
clesiasticarum rerum sollicitudinem.

*Ut nullus laicus presbyterum suum villicationi-
implicare præsumat. Cap. CXLVI.*

*Ex cõcil.
Meldēsi,
cap. 6.* **I**tem iubendum est, vt nemo laicorum presbyteros Ec-
clesiarum suarum turpi villicationi, & secundum apo-
stolum seculari & inhonestæ negociationi implicare, nec
secum aliorum contra autoritatē præsumat ducere, qui
ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quod
si hæc interdicta præsumperit, excommunicetur.

*De illis presbyteris qui contra statuta canonum villici fiunt,
& alijs sibi non concessis implicantur negocijs, vicis-
sime que non admittendis. Cap. CXLVII.*

*Ex eodē,
cap. 5.* **S**imiliter de illis presbyteris, qui contra statuta cano-
num villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia luctu-
sectantur, & diuersissimis modis vfuris inseruiūt, & alio-
rum domos inhonestè & impudicè frequentant, & comen-
sationibus, & ebrietatibus deseruire non erubescunt, &
per diuersos mercatus indiscretè discurrent, obseruandum
iudicauimus, vt abhinc districtè, seueritèrque coercitum
ne per eorum illicitam & indecentem actionem, & mini-
sterium sacerdotale vituperetur, & quibus debuerant esse
in exemplum, deueniant in scandalum.

*Nulli clericorum, ne subdiacono quidem connubium
carnale conceditur. Cap. CXLVIII.*

*Ex epist.
Leonis pa-
pæ, cap.
34.* **N**AM quum extra clericorum ordinē constitutis, no-
ptiarum societati, & procreationi filiorum studium
sit liberum arbitrium, ad exhibendam tamen perfectæ con-
tinentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem connubium
carnale conceditur, vt & qui habent, sint tanquam non ha-
bentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quo

si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignum est custo-
diri, quantò magis in primo, vel secundo, tertiove seruan-
dum est, ne aut Leuitico, aut presbyterali honore, aut epì-
scopali excellentia quisquam idoneus aestimetur, qui se à
voluptate vxoria necdum frânasse detegitur?

*De principibus qui solent suos sacerdotes ministerijs
iudicandi deputare. Cap. CXLIX.*

SAEP E principes, contra quoslibet maiestatis obno- *Ex cõcil.*
xios, sacerdotibus negocia sua committunt. Et quia sa *Toleta-*
cerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi *no, ca 31.*
consentiant regibus fieri iudices, vbi iureiurando suppli-
cij indulgentia promittitur, non vbi discriminis sentetia
præparatur. Si quis etiam sacerdotum contra hoc cõmune
consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus
effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat
proprium gradum.

*De illis qui deo seruire disponunt, vt administratio-
nem domorum non accedant Cap. CL.*

Nicasius Euastitanus Episcopus dixit: Credo placere *Ex cõcil.*
suggestionem meam sanctitati vestra, & displicere *Cartha-*
vobis, vt qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, accedant *gi. ca. 7.*
ad actus, & administrationem, vel procuracione domorũ.

*Item si liceat aliquem ex clero conductorem priua-
torum fieri. Cap. CLI.*

ITEM placuit, vt episcopi, presbyteri, & diaconi, vel *Ex eodẽ,*
clerici non sint conductores, aut procuratores priua- *cap. 14.*
torũ, neque vilo turpi, vel inhonesto negotio victũ qua-
rant: quia respicere debent scriptum esse, Nemo militans
Deo, implicat se negociis secularibus.

*Vt si quilibet ordinatus infra muros ciuitatis ma-
neus, ad sacrificium quotidianũ, non venerit,
clericus non habeatur. Cap. CLII.*

PRESBYTER, vel diaconus, vel subdiaconus, vel *Ex cõcil.*
quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra ciuitatẽ *Toletano,*
fuerit, vel in loco in quo Ecclesia est, aut in castello, aut *cap. 5.*
in vico, aut in villa, si ad Ecclesiam ad sacrificium quoti-
dianum non venerit, clericus non habeatur, si, castigatus
non emendauerit.